



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiae, 1605

Residentia De Zebv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

synis. Occupationes eorum sunt artem legendi litterarumque for-
mandi addiscere, aliâque præstare quæ puerilibus annis con-
ueniunt.

Inductus erat alicubi vsus toto annò cantandi in honorem
Deiparæ Virginis canticum Salve Regina, & feria sexta Quadra-
gesimæ post lectionem spiritualem faciendi disciplinam in Eccle-
sia. Cùm igitur Indi quidam, more in calidis regionibus consu-
to, in flumine se abluentes exaudirent campana signum dari, ad
Salve & disciplinam mox se amictu resumpto in viam dede-
runt. Vnus solus restitit, & irridens socios idioma suo dixit
Acoi Ouian. id est: Afferte mihi inde aliquid: quæ formula est a-
pud ipsos irridendi. Digressis aliis, ecce solum crocodilus (quod a-
nimal in his regionibus est admodum ferrox, & carnis humane per-
cupidum) inuadit & interimit, antequam illi subsidium corporale
vel spirituale suppeditari posset. Id verò admiratione non parua
dignum fuit, cùm bellua hæc admodum vorax sit, hominesque
occisos vel totos deuoret, vel pedem aut manum saltem auellat,
hunc tamen integrum & illæsum reliquerit, quod Indi attribuerunt
virtuti decantati cantici Salve & factæ disciplinæ.

RESIDENTIA DE ZEBV.

HÆc residentia est in prouincia appellata Pintrados, in qua
major nostrorum pars degit, & Indorum salutis operam ma-
nuant, quanquam ordinariè non agant ibi nisi tres Sacer-
dotes & quatuor fratres. Locus est valde opportunus, quia hæc
recurrunt omnes reliquæ residentie. Ministeria Societatis cum
magno fructu ciuitatis exercentur. Ludus puerilis apertus est, &
lingua Latina traditur. Anno proximè elapso Reuerendissimus
Episcopus, officiales, & alii primarii viri litteris ad Majestatem Ca-
tholicam datis exposuerunt, quanto cum fructu spirituali nostri in
illis locis inter Hispanos equè ac Indos sua ministeria exercent,
simulque enixè rogarunt, vt annuo aliquo prouentu residentiam
illam stabilire dignaretur, quo diutius nostrorum laboribus frui
possent.

Optimus antistes ille, cùm pedes, licet sexagenarius, diocesim
suam iustraret, diuertit in eedes nostras, ac nobiscum ea submis-
sione animi & familiaritate vixit, ac si vnus de nostris esset. Visi-
tatione Diocesis absolutâ dicebat, se magnopere in ea admittentium
feminarum modestiam & pietatem, rumore enim & sermone
bus hominum iam dudum contrariam famam percrebuisse.

addebat se in tota noua Hispania nihil deprehendisse simile. Ac conuersus ad nostros, subiciebat eos sua sorte meritò debere esse contentos, quòd in his locis verbum Dei disseminandi prouinciam suscepissent, existimare enim se eos versari in parte mundi optima ac Deo gratissima, ex qua laborum suorum fructum colligere possint amplissimum.

In ædibus nostris hoc anno principium datum est disciplinæ, magno pœnitentium numero & populi deuotione. Conciones item habitæ, cum Christiana Catechesi ad militum custodias, fructu singulari.

Accesserat Pater quidam egrotum Indum iam loquendi facultate destitutum, nec tamē confessum, vt eum ad piè moriendum hortaretur. Monet itaque vt conetur saltem nomen *I E S V S* pronuntiare. Obsequitur æger, obscure enuntiant, sic tamen vt vix exaudiri posset. Pergit pater instare, vt clariùs proferat. Profert modico conatu clarissimè: integre confitetur, & postera luce incolumis è lecto exiit.

P. Michaël Gomez ad gentem quandam longiùs distitã profectus cum primis operam dedit, vt expiscaretur eorum nomina, qui nondum sacris baptismi aquis abluti essent: & adducti ad eū sunt sexaginta, præter nonnullos alios, qui vocantur Visai: quibus omnibus, cum satis idolorum vanitatem Christianorumque dogmatum veritatem demonstrasset, impertiit baptismum cum tanta ipsorum, licet senes essent, consolatione, vt omnes obstupescerent. Sed necdum diluxerat, cum ecce aliquot alii & ætate longè prouecti viri & mulieres operiuntur ad domus nostræ ianuam, vt eodem sacramento initiarentur. Initiati autem sunt sexaginta cum senis infantibus, è quibus primarius loci, qui sexagesimum vitæ annum iam excefferat.

RESIDENTIA BOHOLANA.

Hæc residentia superiori Zebuanae subiecta est. Fructum ex ea collectum P. V. ex epistola P. Valetii Ledesmae hinc subiecta cognoscet. Ex mandato, inquit, R. T. Insulam Bohol inuisi, ac primùm quidem operam dedi vt populum vadique dispersum in vnum cogerem locum. Multa pacis media inggessi, rationes efficaces proposui, ac tadè effeci, vt mille homines, quorū magna pars inter arma erat educata, desertis montib⁹, è quibus extrahi antè nō poterant, confluarent. Conati sumus & plures montium incolas feritate barbaros, qui nullū mortalium præter